



D I S Q U I S I T I O

J O A N N I S C O S T A

DE CIMBRICA ORIGINE POPULORUM VICETINAS,
VERONENSES, TRIDENTINAS, AC SAURIAS
ALPES INCOLENTIUM.

(V. FEBRUARII MDCCLXXXIX.)

Vetus fama est non vulgi solum, sed litteratorum etiam hominum pervagata sermonibus, alpinas Gentes nonnullas Venetæ, ac Tirolensis ditionis Cimbrorum reliquias esse. Ajunt enim profligato, victoque a C. Mario barbarorum exercitu in Campo Veronensi, quem Radium appellat FLORUS, nostri *Campo Raldone*, eos qui stragem ab Romanis factam incolumes evasere, confugisse in abditas proximorum montium silvas, ibique consedisse tuguriis sine arte factis, suppeditantibus victum gregibus, & fornacibus carbonariis (a). Hujusce porro fugæ, diffusæque per saltus propaginis documenta illustra satis, & cuique sano probanda hæc esse fautores putant. STRABO limati judicii Vir, minimeque suspectæ fidei, qui uno circiter post bellum Cimbricum floruit sæculo, inter alios populos, qui Henetorum Alpes tunc temporis habitabant, Cimbros nominat; Cimbros quadringentesimo reparatæ salutis anno Divus ZENO Veronæ Episcopus, in Oratione sua ad Neophytos Christianos habita, non obscure significasse creditur, cum eorum aliquos diversæ Nationis genus dixit. Cimbros monstrat cum Arx Ma-
ria-

(a) Bella sane. Sed quo testimonio probantur?

riana in tumulo Pollicellæ Vallis, velut insula stans, tum in pagis suis Tridentini principatus Oppidum a PAULO DIACONO memoratum, ac sententia eruditorum magni nominis a fugitivis olim Cimbris exstructum. Cimbricam regionem MARZAGALLIA Veronensis scriptor haud ignobilis in *Leximis* agnoscit montibus; FERETUS Vicetinus Poeta Vicetinam Urbem, quod & ipsa Cimbros Alpium ostendet, Cimbriam vocat, & PANVINUS patriæ monticolas esse judicat Cimbrorum prolem. Cimbrica sunt nostræ Gentis indicia e sepulcris recens eruta in Fædo Veronensis agri pago, & subterraneæ detectæ domus ad Rotii Vicetini Communis castrum vetus; Cimbrica (a) sunt familiarum, locorumque prope omnium nomina propagata passim in populis; Lingua denique nostrorum hominum a stipatoribus primum Friderici IV. Danorum Regis, a Cæsareis deinde copiis *Lexinas* Alpes prætergressis, a Regio demum Linguarum orientalium in Lundenensi Lyceo Professore MATHIA NORBERO paucis abhinc annis Linguae Danicæ affinis Veronæ perspecta, spirat adhuc, & viget perenne originis monumentum. Hæc Cimbrorum patroni post SCIPIONEM MAPHEJUM afferunt, MARCUS PEZZIUS in primis Veronensis Presbyter spectatæ virtutis, antiquitatis indagator sedulus, patriæque gloriæ amantissimus scriptor. Ego vero, quamvis unus e Cimbris illis, haud ita facile de avita nobilitate gloriari possim, nisi prius quidam scrupuli, qui mihi identidem oboriri solent, evellantur ex animo. Ac primo quidem me turbat, & assensum sustinere cogit quingentos fere annos supra mille de re tanta silentium. Non LIVII epitome, non TACITUS, non PLUTARCHUS, non FLORUS, non VALERIUS MAXIMUS, non alii veteres Romanarum scriptores rerum vel minimum saltem aliquod jactatæ illius Cimbrorum secessionis in montes indicium faciunt. STRABO ipse, cujus splendido testimonio præsertim nititur tota res, longe aliud de Cimbris sentit, quam quod

(a) Theotisca omnia, non Cimbros, si nulla prisca fuisse sæculis E-ca. Cognomina autem quid ad Cimbruditi omnes vulgo sentiunt?

quod magnifice, ne dicam temere, quidam volunt. Non collocat ille in Henetorum montibus fugatos a C. Mario Cimbros, sed Symbros a Symbra Lyciæ quondam oppido nuncupatos ibi agnoscit, ac signat, quamvis alii, emendato in melius scriptoris textu, post Carnos, Genomanos, & Medoacos pro Symbris Insubres notos hostes Romanorum reponi velint. Tantum certe abfuit, ut STRABO reliquias Cimbricas usquam esse existimaret apud nos, ut omnes imo Cimbros cum lociis suis Romanis deletos armis fuisse dixerit partim extra Alpes, partim, cum his superatis in Italiam descendissent (a). Addit insuper Geographus sapientissimus, ætatis suæ Cimbros antiquas sedes incoluisse, & Augusto lebetem, qui apud ipsos facerrimus habebatur, misisse dono amicitiam ejus petentes, & illatarum veniam injuriarum, Legatosque domum voti compotes rediisse. Nulli igitur, STRABONE teste, inter Henetos tum Cimbri erant. Nam si ulli prope Italiam extitissent, haudquaquam late, longeque peregrinanti, sagacique Viro ignoti esse potuissent omnino, ea præcipue tempestate, qua & Romani non Italiæ solum, & Galliæ utriusque domini, sed omnium prope Gentium victores essent; & Cimbri uno amplius sæculo per sobolem aucti numero in saltribus non erumpere tandem non possent necessitudine adacti, & moribus, Linguaque dissimiles finitimis circum populis non innotescere. Ego sane, cum maximam barbarorum partem in acie casam, cum ingentem captorum numerum, cum fugitivos ab uxoribus eminus telis percussos, infantes pueros strangulatos crudeliter, & ipsas feminas, desperata jam re, diris modis, & infandis semet ipsas necantes paulisper mecum reputo, vix superstites tanto excidio fuisse paucos credo, eosque ipsos post cladem, ut JA-

CO-

(a) Cimbrorum gentem delevisse Marium, & ita sustulisse, ut tantæ cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, radicitus nempe extirpatis omnibus, ipsi etiam Romani Scriptores tradunt. AMMIANUS de Cim-

bris hæc ait: „ nullos effugisse non miror de iis, qui in acie gaudio exultabant, tanquam gloriose, & feliciter vita excessuri; lamentabantur in morbo, quasi turpiter, & misere perituri „ .

COBUS MASCOUS Lipsiensis Academiæ lumen in recente sua de Germanorum gestis historia contigisse putat, reverti propere ad suos, quam miseram in ferarum latibulis vitam degere maluisse. Minime siquidem putandum est, PLUTARCHUM, qui ex Catuli, & Syllæ eo in prælio militantium commentariis singula quæque ad Cimbros pertinentia non tam narrasset, quam pinxisset omnimodo, non minimi rem momenti, multorum (a) scilicet millium ad Alpes Cimbrorum fugam, vel ignorasse prorsus, vel omisisse data opera, quasi inutilem, & memoria minus dignam. At tacentibus PLUTARCHO, FLORO aliisque priscis historicis, queis Cimbri celabantur claustris nemorum circumsepti, non tacuit D. ZENO coram Cimbros allocutus. Itane vero? Diversæ Nationis nomine nulli alii designari ab ipso poterant quam Cimbri? Cur non etiam aliqui ex Helvetiis eo forte compulsi? Cur non Segusini, Taurini, Vagenni? Cur non Insubres, vel Senones? Vel alii barbari aliena petentes, velut exsules, loca? Quosvis potius homines augustus compellavit Præsul, quam Cimbros, quorum nulla usque ad ipsum adhuc facta a scriptoribus mentio esset. De monumento Mariano nihil dico, quod Marius quidem in iis locis fuisse probat, non autem monticolæ esse Cimbros. PAULUS vero DIACONUS quid tandem gloriationi Cimbricæ alpinæ gentis suffragari possit non video. Ne verbum quidem de Cimbris apud illum, multoque minus de jactata exstructione Oppidi a Cimbris. Childeperti Francorum Regis ab historico narrantur gesta, atque inter cetera Longobardorum loca tunc regiis armis expugnata, Cimbra quoque oppidum numeratur. Miror itaque præstanti mente Viros in Cimbræ nomine, & Germanicæ in duobus pagis Linguz usu conditores vidisse Cimbros, eorumque semen in posteris. Quæ amamus, facile credimus, & Veri speciem, illecti abreptique sæpenumero pro ipso Vero ample-

(a) Tigurinorum quidem, & Ambronum tria millia fugisse Orosius narrat, non vero Teutonum neque Cimbrorum. Vana igitur est & nullo fun-

damento nititur jactata Cimbrorum fuga, de qua silent omnes prorsus historici.

plexamur. Quid dicendum de MARZAGALIA, de FERETO, & PANVINIO, qui Veronæ, & Vicetiæ montana juga regionem Cimbricam, & incolas quovis pignore esse Cimbros contendunt? Ab istis tandem oritur, atque in lucem palam prodit ex ultimæ antiquitatiseducta sinu, & quindecim ante ignorata sæculis gloria Cimbrica monticolarum. At unde, quæso, tam præclara, & nova prædicatæ originis monumenta eruditi Viri accepere? A scriptoribus ne superiorum temporum, quibus nullos, quos consulerent, fuisse constat? An ab aliis, qui nos latent, & illis cogniti nobis misere perierunt? Cur non protulere nobis testimonia aliqua lapidum, numismatum, sepulcrorum? Illi quidem nulla. Auctorem postulat, non verba origo quælibet illustis, ut familiæ, ita populi; nec opinio speciosa scribentis unquam factum dabit, quod tale ostendi non potest. Ecquis enim in montibus errantes homines, aliis omnibus tamdiu ignotos antea, sibi sinat sine ullo teste, ac sponse venditari pro Cimbris? Quis ex vocabulis hac illacque sonantibus vetustæ, ac peregrinæ Linguae statim credat esse loca Cimbrorum, quæ alpini populi tenent? An quod ad illas Alpes profligati quondam fuere Cimbri, necessario inde fit, ut nulli alii Germaniæ veteris, Galliæque incolæ ibi esse possint relicta patria? De Lingua paulo infra dicam. Vocant enim me sepulcra, & subterranei specus, quibus Cimbricæ stationem gentis quasi digito monstrari putant. Inventæ esse ajunt non ita pridem in sepulcris ustulata ossa hominum, fictilia vasa, carbones, æreas laminas informes, & plures e saxo silice cultros. Quid ista ad Cimbros potissimum? Urebant illi quidem, OLAO WORMIO teste, mortuorum cadavera, sed Gothi quoque, Vandalii, Daci, & Sarmatæ Europæi, ut ALEXANDER GUAGNINUS scribit, eundem funerandi ritum, quem Græci ipsi, ac Romani, servabant. Urnas vero fictiles continendo cineri, & ossibus cur Cimbricas potius, quam Romanas putem, quæ utrique populo æque communes erant, & nulla loci vel formæ nota propria aliæ ab aliis discernuntur? Laminam etiam inscriptam litteris extra Collinam Romanæ Urbis portam in sepulcro antiquitus inventam affirmat CICERO, pluresque nostra ætate in

Tom. III. P. II. Aa mul-

multis Italiae locis defossas testantur docti reconditae antiquitatis Cultores. Silicei autem cultri, qui Cimbrici dicuntur esse ad usum caespitum in Sacrificiis, & ad caedendas victimas destinati, a nullo prorsus Danicorum monumentorum scriptore reperti unquam in tumulis indicantur. Repertum quidem inter crepundia cremati pueruli ex urna prope Kalundeburgum effossa cultellum aereum; repertam hastam ex vivo filice affabre elaboratam una cum urnis in Dioecesi Ripensi; musicum in Mandalensi Norvegiae agro instrumentum ex inaurato nitidissimo cupro factum; in Slevicensibus sepulcris cupreum Matronae fufum, sagittam aream, aereum calcar, & pugionem, & bellica arma narrat WORMIUS. At ille idem, nescio quo fato luctuoso certe, ac misero, jactatos a nostris cultros obliviscitur plane. Solum homo noverat apud illum populum mactari victimas solere ferro, non saxo filice, & caespites ad extruendas aras, tegendosque tumulos a Romanis illuc esse translatos. Cur porro pro numismate Vespasiani V. Consulis in Progno Veronensi pago invento proprium aliquid, & singulare non afferunt, quod vere ad Cimbrum Veronenses, aliosque socios pertineat, eorumque tandem nobis optatam jamdiu prodat originem? Cur non argenteos nobis nummos, quales olim prope Lethram in Selandia a quodam Rustico monstrati sunt in sepulcro, indigenarum Regum nomine insignitos ostendunt? Cur non naviculam, aut sagittam, aut Gallum in scuto pictum illius populi proferunt, aut saxo insculptas animalium figuras sepulti indolem, mores, & naturam rudibus signis, & mysticis praeseferentes? Cur non saltem Tauri aenei a PLUTARCHO relati, & a Cimbris divino donati cultu, vel Leonis securi Cimbrica armati speciem exhibent in lapide, vel nummo expressam? Nihil minus. Non enim possunt in Romanis quondam locis non Romana proferri. Satis id, superque arguunt inventae passim plurimae apud nos Latini nominis Inscriptiones. Venio nunc ad domunculas, quae juxta Rotii castrum novissimo tempore detectae sunt. Adstabant illae, nudatis muris, sexcentae, & amplius numero, contiguae omnes, globosis saxis sine calce structae, in altitudinem senorum pedum depressae, complanato

te-

testæ lapide ad libellam soli, suis quæque distinctæ focis, & fictili partim integra, disrupta partim supellectile ornatæ. Ad latus singulæ habebant, instar putei rotundi, tres pedes latum, & profundum quinque recente adhuc oppletum cinere, & quinque lapideis pro re nata tollendis, addendisve coopertum laminis receptaculum. Manuaria præterea mola ex *pseudo-Granito* cum manubriis supra, & infra, crassiore meta, graciliore catillo, ac manubrii experte, & quintam Gothorum litteram, si obliquam spectes, vel, si rectam, Græcorum ultimam grandioris formæ intercisam gestante, tanquam familiæ notam, admirationi omnibus erat. Tenebant quoque oculos hastarum fragmina, & ensium, scalpelli, mallei, & terebræ novum genus, lutea pocula, cupreæ fibulæ, vitrei globuli multi perforati colore subviridi, binæ inaures ex cupro convexæ exterius, & intus concavæ, Priapi etiam truncato capite imaguncula, & inter rudera duo argentei nummi, Venerem, vel Dianam, vel Palladem adversa fronte monstrantes, averſa autem Cancrî vel Leonis valde dubiam, obscuram, paremque ænigmati effigiem. Reperta sane memoratu digna, sed ea, ni fallor, Cimbris nostris propitia parum. Domos enim sub terram abditas, & oneratas fimo, quæ tribuuntur Cimbris, Germanis omnibus fuisse in usu ex TACITO scimus; cyathos fictiles veterum etiam Romanorum mensis astitisse primitus TIBULLUS tradit elegantibus illis versibus:

*Fictilia antiquus primum sibi fecit Agrestis
Pocula, de facili composuitque luto (a).*

Vitreis autem acinis, auctore PLINIO, ad ornamentum colli Latii feminæ utebantur pro succino; mola tandem illa necessitatis, non gentis index est, Priapus Romanis cultus, fibulæ & inaures communes aliis; & nummos quos ad Massiliam, vel ad aliquam Galliæ Narbonensis urbem, simulata Massiliæ forma,

Aa 2

(a) Lib. I. El. I. v. 31.

ma, spectare censent Europæ viri doctissimi, nihil a nostris ostentatæ favere origini quisque videt. Sed quidquid demum sit, hic inquiet aliquis, de monumentis hætenus a te discussis, prisca plane, & constans vox populi ad nos usque transmissa de Cimbrica monticularum antiquitate dubitare quemquam non finit. Popularem vocem, quæ veritatis loco habenda dicitur, audio vel ipse, sed hujusce vocis, seu memoriæ fontem frustra quæro. A veterrimo quippe ævo ad MARZAGALIAM usque, quasi in deserta, ac nuda ab indicibus solitudine, nihil sperandum; a reliquo autem post eundem Scriptorem lapso tempore, quo res minus nota, & testata traditur, timendum valde, ne fides ipsa destituta auctore labascatur. Nisi forte, quod unus olim acutus homo ante quingentos annos conjiciendo perspexit, & tanquam novum gloriæ decus amore fortasse Patriæ mandavit scriptis, quodque alii deinceps multi testimonio ejusdem nixi exceperunt creduli, & in vulgus sparserunt, pro fonte certo originis habendum est. Non desunt enim, ut apposite LOCHIIUS, in tanta incertitia hominum, qui bellam fabulam propositam olim plebi a viro celebri, plane veram, & fide dignam plenissima putent, ex eo, quod plurimi eidem longissimi spatium temporis assensu semper fuerint, perinde quasi, quod ab initio, vel nulla, vel dubia saltem fide stetit, illud ipsum possit integratum sæpius per sæcula majore indidem fidei munimento fulciri. Quamquam (non enim nefas dubitare aliquando de antiqua fama) si Cimbricæ memoria originis talis semper est habita, qualem jactant, si certa semper, & explorata, & nunquam interrupta in omnium ore vixit, cur quæso in vetustis, sinceris, & publicis Scaligerorum præsertim Principum Tabulariis, in quibus non jam res dumtaxat singulæ, sed verba quoque ipsa ad unum omnia religiose librari solent, cur, inquam, illi, qui Cimbri erant apud omnes, una cum montibus, eorumque pagis Teutonici, vel Alemanni appellantur semper, Cimbri nunquam? Equidem vereor, ne Cimbrica nostrorum hominum appellatio, quæ communiter usurpata fertur, paucorum tantum quorundam, non omnium voce inducta sit. Nam quis credat Tabulariorum præsides minime peregrinos, & hospi-

hospites in patria sua nescisse solos, quod omnes nossent, vel noluisse scribere sine causa, quod omnibus probaretur, & esset posteris monumentum? Nullus dubito, quin Lingua ipsa, quam esse Cimbricam nostri Jovem lapidem jurare parati sunt, ea ætate Teutonica omnibus, seu Theotisca, vel Alemanna promiscue in Tabulis usitato vocabulo diceretur. Nescio itaque, quo unquam indicio, certove signo esse Cimbricam nunc asserment, cum prima Cimbrorum propria in media adhuc vetustatis caligine omnes lateat; Runica toto cælo distet ab ea, de qua montani gloriantur; illa autem ipsa, quæ hodie Danorum est, prorsus altera, eidemque longe dissimilis, & habeatur, & sit. Danici enim stipatores Regis, & Cæsarei milites, qui tanquam testes locupletes adhibentur Linguae Cimbricæ ab illis Veronæ cognitæ per colloquia, quid tandem profunt? Allocuti sunt populum inter Italas gentes antiqua Germaniæ loquentem Lingua; non tamen inde cum illo Danice locuti esse necessario dicendi sunt, aut Cimbricam ibi stupuisse Linguam, quam ipsi, ut alii omnes, quænam fuerit, aut qualis, penitus ignorabant. Lundenensis porro Professor honore omni, & obsequio cumulatus hospes, qui probe nosset ingenium Urbis, gratiam potius dictis suis apud illustres, humanosque Cives inire sibi voluisse putandus est, quam veritati, ut par erat, litando iis eripere Cimbricæ originis voluptatem. Nam Svecicæ, Danicæque Linguae forma ea habet lineamenta propria, certasque notas, quibus utraque a montana dignosci facile possit. Probat id luculenta satis exemplorum serie JOANNES CHAMBERLAYNIUS in specimine suo multilingui Londini edito, in quo nativa cujusque Linguae, tanquam in speculo, species nitet. Ostendit id ipsum quinque abhinc annis in hac urbe nobilissimus Daniæ adolescens FEDERICUS MUNTHERUS omnium ferme Linguarum Cultor, cum me singulari humanitate conventum esse domi voluisset. Nam cum illi inter loquendum meam Linguam Cimbrorum esse dixissem, ostendissemque talem scripto, subrisit ipse, & comiter simul, & erudite Thuringicam & Suevam esse monuit. Haud diu præterea est, quod Carmen Gallicum patrio sermone a me donatum Tigurum miseram
sci-

scire cupiens, quid illa Litteratorum Societas de mea Lingua sentiret. Respondit ipsa paucis; Theotiscæ esse veteris prolem, eandemque illam, qua sui præsertim Scaphusiæ (*) cives utuntur. Nihil de Lingua neque clarius, neque verius dici potuit. Quamvis enim illa in singulis prope vocabulis cum recēte Germanica quodammodo convenire dici possit, Dialecto tamen sua, verborum ordine, & nexu dispari, ipsoque vocum sono, & prisca in omnibus simplicitate differt plurimum. Manifesta satis ex iis, quæ dixi, Communium Lingua videri potest. Verumtamen ut rei ipsius veritas magis, ac magis luceat, nova asseram illustrium testimonia virorum, eademque, nisi fallor, gravissima, quæ nuper ad me ab AUGUSTINO DAL POZZO amico dulcissimo, nostræque originis sagacissimo quæsitore non usitata liberalitate transmissa sunt. JACOBUS JONAS BIOERNSTALLIUS Suecus, magni nominis, & exquisitæ eruditionis vir, cum Mediolani ex itinere per Italiam suscepto constitisset, ibique Glossarium Cimbricum PEZZII perlegisset attentius, JORVELLIO amico, & regię Bibliothecæ prædidi in Epistola sua Stocholmiam missa & edita, ita scribit. „ In istius Lingua Cimbri deprehendi li-
 „ quido Germanicum *idiotica* priscum, quod vocabulis omnibus,
 „ in quibus Germanica a Danica Lingua discrepat, adeo con-
 „ venit, ut Cimbricam plane oppugnet, ac destruat. Miratus
 „ valde hominem sum, qui, cum ex illa gente sit prognatus,
 „ & altus, Linguam ipsam, qua utitur, ne de facie quidem
 „ nosset, illi alteri Italo prorsus similis, qui in Insula Meli-
 „ tensi non jam Arabicam esse, ut est, sed antiquam Pœno-
 „ rum Linguam contendebat „. Idem prope sentit XERXES mi-
 litaris Academiæ Colmariensis socius insignis, cum putat non
 Cimbros, sed Alemannos esse monticolas nostros, ex eo, quod
 Bavaricæ & Suvæ gentis dialecto, Saxoniz, Italiæque dictio-
 nibus paululum intermixta loquuntur. „ Occupari (ita cla-
 rif-

(*) Clarissimus, & antiquæ erudi-
 tionis plenissimus SEBASTIANUS STER-
 NEGGER Abbas in Monasterio Maris
 Stellæ Wittingensii putatalem Linguam

olim usurpata fuisse ab incolis Ty-
 rolis, Suvæ & Turgoviæ Helveticor-
 um pagi. Id mihi jile per Litteras
 consulenti humanissime significavit.

riſſimus FULDA in ſua Diſſertatione, quæ inter BUSCHINGII Ephemeridas exſtat impreſſa) „ occupari itaque, inquam, ne-
 „ ceſſe eſt præjudicatæ opinionis æſtu, illud ultro, & tenebris
 „ Taurico-Cimbricis illum obrui miſere totum, qui neque in
 „ Lingua Veronenſis, ac Vicetini Populi Helvetiorum guttur,
 „ neque in diphthongis, verborumque haud Itala ſtructura plu-
 „ rium nequaquam videt Alemannicam proprietatem „ . Ho-
 rum ego talibus, ac tantis litteratorum auctoritatibus PAN-
 VINIUM addo, qui Germanicam Linguam, addo UGHELLIUM,
 & LEIBNITIUM qui Semigeranicam in Alpibus Veronenſium
 eſſe affirmant; addo Gloſſarii Cimbrici auctorem ipſum, qui
 præter duodecim circiter vocabula antiquorum, ut ipſe judi-
 cat, Cimbrorum propria, Theotiſca agnoſcit reliqua ab ſe col-
 lecta, eaque ipſa jam inde ab undecimo ſæculo reparatæ ſa-
 lutis ad hæc uſque tempora Calavenæ incolis uſurpata. Scio
 equidem univerſali appellatione Linguae non excludi peculiarem
 certæ gentis ſermonem; ſed illud etiam ſcio, vanum iſtud eſ-
 ſe perſugium ad tuendam originem, niſi Lingua, qualis dicitur,
 ſingularis, & a communi omnium diſtincta plane oſtendatur.
 Cur illam ipſe Teutonicam, Theotiſcam, & Alemannicam
 vocat, quæ uno, & quidem ſatis claro, notoque nomine
 Cimbrica dici poterat? An ideo pluribus appellavit illam no-
 minibus, quod dubia, & ancipiti ſe ſtare in acie ſentiret, ſe
 ſequē idcirco, ne nudum latus offerret hoſtibus, hiſce armis
 protexit? Nulla enim alia magis, quam Theotiſca illis gen-
 tibus loquendi ratio reſpondet. Conſulat ille, ſi certior fieri
 velit, LAMBECIUM, qui Theotiſcæ Linguae quaſi vultum pro
 varietate temporum diſcolorem quidem illum, & hiſpidum,
 ſed nativa tamen indole cuius facile dignoſcendum exhibet per
 exempla; percurrat JACOBI LE-LONGII Bibliothecam Sacram,
 in qua ex Codicibus antiquiſſimis, & excuſis etiam verſionibus
 plura Theotiſci ſermonis afferuntur ſpecimina: ibique ille ſe-
 data mente tum initium Geneſeos, tum primi Pſalmi Davidici,
 tum Euangelii a D. MATTHÆO ſcripti fragmenta pretioſa con-
 ferat cum Lingua ſua, Linguamque ipſam, ſi poteſt ibi, tan-
 quam ad Lydium lapidem, exploratam Cimbricæ adjudicet,
 non

non Theotiscæ, quæ ipsi in oculos, quasi lux, incurrer. WOLPHANGI LAZII præterea ex pervetusto Codice allatos *ρυθμῶς* in Libro octavo de Suevis sedulo, & attente legat, quantamque habeant cum hodierna Helvetiorum Lingua similitudinem mirabundus consideret; audiat demum ex me, quid duobus abhinc mensibus hac in Urbe UDALRICUS BERCHTOLDIUS Presbyter Monasterii S. Galli apud Helvetios, illiusque celeberrimæ Codicibus Bibliothecæ jamdudum Præses, mihi ingenue dixerit sciscitanti de recentium Cimbrorum Lingua judicium. „ Habemus (inquit) „ Codices in Bibliotheca nostra Linguae hujus, quam Cimbri- „ cam putatis ipsi, quamque nos Theotiscam esse veterem pro- „ cul dubio arbitramur „. Hæc, & alia talia de nostra Lingua eruditi sentiunt, & quidem optimo jure. Nam etsi innumeras prope mutationes antiquæ illi accidisse Linguae, ejusque Dialectum nostra etiam ætate aliam aliis populis, & variam ubique esse fatendum est, nemo tamen dixerit illius primigenum germen esse prorsus extinctum, ubi ea, quæ adhuc attuli, monumenta sibi ob oculos ponat, simulque cogitet, nec Linguam, cujusquemodi sit, eandem semper manere per omnia posse, nec unquam vi ulla vicissitudinis in diversum omnino genus abire. Theotisca igitur non Cimbrica, vetus illa Cantiuncula est, quæ in Patria mea Asylacenſi quotannis alterno cantu in Templo resonat, celebratque jamdudum Vesperis Paschalis Festi lætitiæ; Theotisca etiam Institutio Christiana morum, quæ sub initium præteriti Sæculi, MARCI CORNELII Patavini Episcopi jussu, ad usum illius Gentis typis edita fuit; Theotisca tandem nostrorum ompium tota Lingua Cimbrorum.

At Alpini ipsi populi (hic unus urget) quales tandem tibi sunt, quove a fonte deducti? Esse a Cimbris ex iis, quæ hætenus dixi, non sane liquet. Ecquis enim celeberrimo MAPHÆJO in hac causa subscribat montanæ illius Linguae ignaro, longam famam in rudi populo sine teste pro veritate habenti, mediterraneos pro Hermionibus, qui Suevi sunt, nescio quos legenti Cimbroſ in PLINIO, in Cimbra oppido a me supra memorato, & in unius litteræ A pro O in affirmante particula usurpatæ sono atticam præſcorum Saxonum elegantiam, atque

atque ipsam originem Cimbricam contemplanti? Cur non potius nobilissimum Equitem LORNIAM, Veronæ Italiæque lumen, sequi velit, præsertim cum alpestris Linguae specimen jamdiu apparet in lucem edere, ejusque sapientissimo consilio inniti, quo ille in Epistola sua latina ad doctissimum Comittem DE SACROMOSIO scripta, & ad BUSCHINGIUM Byzantio missa Veronenses monticolas appellare Cimbros veretur? A priscis vero Teutonis ad Aquas Sextias cæsis montanos illos esse ne minima quidem apud ullum suspicio est. Quid ni fortasse a Tigurinis (a) sint illis, qui, teste FLORO, ignobili fuga, relictis Cimbris, hac illac per Alpes dispersi sunt? Lingua certe, quasi filum Ariadnes, in ambiguo quæsitæ originis labyrintho dux nobis haud infida esse potest. Ubi Lingua, ibi natio. Illam igitur adhibeamus ducem, quacumque rude spirat, ac sonat, & a Noricis Alpium tumulis, unde illa primum nobis ostenditur, varia per Tigurinos sensim facta migratione in alia, atque alia loca diffusam, propagatamque sequamur. Ne-

Tom. III. P. II.

Bb

que

(a) Non erat, inquiet aliquis, causa, cur, audita Cimbrorum clade, relictis Noricis ad hosce montes Tigurini migrarent, omnesque historici, & ipse FLORUS de hujuscemodi migratione tum facta ne somniant quidem. Quid tum postea? ajo ego. Num ideo Tigurinos in Italiam nunquam alias venire potuisse putandum est, quod ab initio non venissent? Non ego a Norico tum primum illos post illam fugam profectos volo. Id unum dico: illorum prolem Tigurinorum crescente paulatim, propagatoque passim dispersu illo, quem FLORUS memorat, in diversis locis, migrasse tandem ad nos. Futuræ siquidem illi sunt originis fontes, non ipsa origo diffusa statim, & illorum mihi a FLORO monstratur fuga propagationi inserviens, non subitus in Italiam adventus. Indicari porro ab Historico venerunt, & montes habitant, licet tempus, quo

venerint, lateat. Sive ex Suevia, sive ex Saxoniam, sive ex Rætiam, sive ex alia quavis regione Germaniæ huc processerint, aliquando certe migrasse ex Lingua constat, quam Theotiscam esse hætenus probavi, & dialecto, & pronuntiationi Helvetiorum potissimum respondentem. Miror autem, quod ad FLORUM attinet, afferri illud contra me, quod æque ipsi censori noceat. Nam si de priscis illis Tigurinibus in Italiam profectis tacet FLORUS, tacet etiam de jactata Cimbrorum fuga in Veronensium silvas, fixoque in montibus domicilio. Pares ergo ex FLORO in hoc sumus. Nec Tigurini ergo apud nos, nec Cimbri sunt; imo Cimbri multo minus, quod illorum secessionis in montes a FLORO nullum omnino indicium est, Tigurinorum autem ad nostras Alpes futuri aliquando progressus ex ejus verbis non obscura conjectura decui potest.

que enim credibile videtur (doctissimi MASCOUR pace dicam) Tigurinos illos, audita Cimbrorum clade, rediisse statim in patriam, quod Helvetiorum populum numero, & vi præpotentem, paucis annis post, JULIUS CÆSAR invenisset, cum aperte FLORUS in diversa fuisse lapsum, non domum venisse, immo fuga, & latrociniis evanuisse narret exercitum. Quid valeat conjectura contra evidens testimonium? An illa natio secundissima pube, nulloque antea imminuta bello, unius jactura exercitus facta, nihil reliqui habuisset, quod armis CÆSARIS posset objicere, præter miserum, & imbellem paucorum gregem? Ignominia vero, quam merito ab suis pati civibus, & quidem maximam necesse fuisset ob degenerem animi, virtutisque rationem, parvo ne incitamento illis erat, ut longe a suorum conspectu furriperent sese, novasque sedes, relicta Patria, præoptarent? Ita sane factum arbitror, cum Linguam considero, quæ jam tum inducta in Norico viget adhuc, non Celtica, vel Gallica, sed Theotisca, qualem dixi. Suffragatur mihi JULIUS CÆSAR, qui dimidio circiter elapso sæculo post bellum Cimbricum, Ariovistum Theotiscum Principem ea ipsa in terra, quam Tigurini prius occupaverant, ejusdem cum illis confortem Linguae Gallicæ sibi longinqua consuetudine adjecisse memorat, quo tutius, ut opinor, agere cum finitissimis Gallis posset, extentisque imperii finibus alta incepta perficere. MUNSTHERUS Germaniæ Strabo de Lingua, qua tunc Helvetii, & Galli usi sunt, ita scribit: „ Quidam putant (ut est „ Beatus RHENANUS) Gallicam Linguam neque cum Germanica, neque cum Francica, qua hodie Galli utuntur, communicasse, sed propriam exstitisse Linguam. Alii vero putant (inter quos est ÆGIDIUS SCHUDUS, & HENRICUS „ GLAREANUS) Gallos tunc usos Lingua Germanica, potissimum ea, qua adhuc Helvetii utuntur, habenturque utrinque probabiles rationes. „ . Quis igitur, missis unis, qui divinandam, non videndam præbent Gallorum veterum Linguam, alteris potius melioris fortasse notæ Scriptoribus, qui fidenter illam indicant, non adhæreat, & ex Lingua illustribus testimoniis in ipsa origine commonstrata, satisque interlucente in

in media antiquitatis caligine non suspicetur saltem, montanos nostros Tigurinos magis esse posse, quam Cimbros? PANVINIUS ipse, qui hæret anceps, utri populo ascribat, eosque titubante sententia modo unius, modo alterius juxta autumat esse prolem, minime dubito quin mutato in melius judicio ad facem Linguæ Tigurinorum propriæ ductos indidem potius eadem utentes Lingua alpestres ipsos agnovisset nepotes. Nam Linguæ Theotiscæ transitus in diversa loca tum satis patet ex illa fuga antiqua, tum fugam ipsam prorsus arguit, qualis fuerit. Num absurde quis dixerit, fugitivos illos partim in Noricis constituisse salibus, ad Saxonum partim terras accessisse prædandi causa; Alpes Rhæticas occupasse alios, alios inde progressu temporis in montes Veronæ proximos, alios in Vicetinas, ac Saurias Silvas, quasi in vacua venisse, uno ubique, atque eodem, si dialectum excipias, incolarum genus, jam inde a principio præportante sermone? Sit instar omnium exemplum unum ad ea, quæ supra fufius protuli, monumenta. Duo nuper Carniæ Juvenes experrecti ingenii, & indolis ad optima quæque factæ, emenso jam Augustæ apud Vindelicos, ut solet, studiorum curriculo, & Lingua etiam ejus Urbis plenius hausta & expressa, rediere in Patriam præclari. Brevis illic non usitata doctrina, & moribus Sacerdotium adepti illucere statim cœpere aliis, ut qui maxime, in Templo Dei. Interea non multo post duæ Ecclesiæ, Sauriæ una, Sapatæ altera, quæ solæ ibi Theotisca reguntur Lingua, suum orbæ Pastorem lugent. Notam vocem exspectant oves, notas oves utrinque Pastor. Præfecti tandem viduatis ovibus, non tam propter sacrarum rerum scientiam, virtutumque doctes, quam propter notitiam Linguæ illi populo necessariæ, ac prope geminæ, Augustani Lycei Alumni JACOBUS MORUS, & MICHAEL DE CORTE. Superstes unus adhuc est, & gratissimus populo; alter vero e vivis ereptus successorem gregi ex eadem Schola reliquit. Usque adeo cum Sueva Lingua Sauria convenit. Verum esto, inquiet aliquis, Theotiscus, quantum libet, montanorum sermo. Num propterea ipsis ille Tigurinum genus dabit? Si Helvetii illi tui a JULIO CÆSARE inter Gal-

los recensentur, & Celticae eorum Linguae in nostra vestigia nulla omnino sunt, quæ potes unquam Tigurinam nostris assignare originem, qui nihil Celticum Gallicumve gerunt in Lingua? Quæ ex Gallis Theotisci per te prodeunt ab iisdem toto cælo distantes? Helvetios sane fuisse Gallos antiquitus, & Linguam primum a Celtis (a) ortam usurpasse clarissimus LEIBNITIUS, aliique viri doctissimi jamdudum censent. At mihi ex tot, tantorumque eruditorum numero unum dumtaxat velim, qui certo designet tempus illud, quo vigere, quo corrumpi, quo demum deficere Lingua Celtica cæperit apud illas Gentes; qui audacter mihi allatis monumentis affirmet, Tigurinos nostros in illa prisca adversus Romanos hostes expeditione solum (b) Celtice, vel Gallice fuisse locutos; quæ il-

(a) Fuerit Lingua Celtica alibi. In Suevia certe illa ætate non fuit, nec adeo CÆSAR in iis locis hospes erat, & peregrinus, ut Celticam a Theotisca sua minus ex insita forma, ex sono saltem dispari dignoscere nequaquam posset, & Sueviæ principem Linguae patriæ, nempe Theotiscæ, addidisse Gallicam sive Celticam falso narret. Num PLUTARCHUS, qui in Sertorio Linguam Celticam Cimbris tribuit, Tigurinæ quoque tribuisse eandem dicendus est, quod hi cum Cimbris contra Romanos tunc temporis militarent? Num, propterea quod Sulpicius Aquitanus homo de D. Martini Thuronensis Episcopi rebus gestis cum Posthumiano Celtice collocutus fertur quarto sæculo, Helvetios pariter ab Aquitanis Garumna, Oceano, & Pyrenæis divisos montibus usque ad illud tempus Celtica usus Lingua censebimus, quamvis CÆSAR jamdiu antea Gallos omnes inter se dissimili fuisse Lingua testetur? Si Galliæ incolis non una, & eadem omnibus, sed alia aliis Lingua primitus fuit, sententia CÆSARIS, cur nam Celtica magis, quam Theotisca, quacumque post CÆSAREM

silente historia, Tigurinæ adscribitur? Documenta ubi sunt certa, & lucida Linguae? Ubi notæ illius indices? Ubi propria lineamenta, quasque vultus? Nihil Celtici, vel Gallici in Helvetia Lingua monstrari potest, nihil etiam in ea, quam nostri tenent monticolæ. Nostri igitur populi Tigurinorum nepotēs Theotisci sunt, non Celtici, & avita Lingua utuntur adhuc in montibus illa ipsa, & immutabili. Non enim commoda locorum opportunitas, non dissimilis communio populi, non diuturna commercia, non exteræ nationis incurfus, ac præpotens dominatio immutare eam Linguam poterant, quam in Alpes semper horridas, inaccessible, steriles, & ab omni consortio remotas Tigurini primum invexerant, ut ex barbarica liquet historia. Adversarii ipsi fatentur, Linguam, quæ viget in Alpibus, nulla unquam vice potuisse mutari, & eandem manere prorsus, quæ fuerat.

(b) LEIBNITIUS, & WACHTERUS putant antiquitus Linguam Celticam totius Germaniæ communem fuisse, sed nullo testimonio suam hanc sententiam confirmant.

illorum Linguam Valentiniani solum, & Honorii tempore mutatam (a) probet; qui præterea defendat, fugitivos illos, si mutassent postea in Norico Linguam, non amplius ideo nationis ejus dici posse, cujus antea erant, perinde quasi nos Itali homines Hetrusci, Latinique generis definamus esse, quod nunc longe alia Lingua, & majoribus ignota nostris loquamur. Res ipsa satis lucet per se. Alemannorum vero tertio sæculo a Suevia in Italiam violenta irruptio; Leutaris deinde, & Bucellini copiarum longo post intervallo per Alpes Rhæticas, nostrasque dispersæ; Saxonum etiam recentium, quos clarissimus MURATORIUS memorat, reliquiarum, quæ putantur esse apud nos, tantum abest, ut adversentur sententiæ nostræ, ut immo verisimilem valde ac probabilem propagationem reddant Alpinæ Linguae, Theotiscæ scilicet illius, quam ex altioribus initiis ortam volumus multa sæcula præcedentem, sibi semper ubique similem, & ab omni intactam monstrosa, ac barbara permixtione Linguarum. Quid simplicius igitur hac origine nostra, magisque consonum veritati? Nam præter Linguam Helvetiis, nostrisque populis eandem (b) ipsam, gregis amor, & montium utriusque pæne par dici potest, par utrinque in bello virtus, gemina vitæ simplicitas, & honestæ ardor simillimus libertatis. Hæc habui de Cimbris nostris, quæ dicerem, non eo, quo putarem a critica dignitate alienum, si quidpiam apud me valuisset, quod vulgatum esset, multisque commune, sed eo, quo rem lon-

(a) Quis mutationem Linguae finxerit, ubi nulla fieri poterat, repugnante locorum natura, & ipsa indole incolarum patriæ Linguae tenacissima? Forma igitur constans, & immutabilis Theotiscæ Linguae Theotiscos arguit montanos, & dialectus ejusdem Linguae suo illo rudi, & antiquo sono esse Helvetios monstrat.

(b) Lingua, si formam insitam spectes, quæ nunquam interiit, licet progressu temporis nonnullas mutationes parvi momenti passa fuerit, dici pot-

est semper eadem tam HELVETIIS, quam nostris, ut supra satis ostendi. Id etiam JOANNES MÜLLER Græcarum Litterarum Scaphusiæ Professor, scriptorque recentissimus, in Opere de Bello Cimbrico, de Veronensibus monticolis sentit. „E tot, inquit ille, tantisque nostrorum exercitiis, tot millibus peregrinantium, qui media maxime ætate hac iter consecerant, quid mirum consedissee aliquos, Linguamque paululum corruptam servasse „?

longa jamdiu inveteratam, exceptamque vulgi opinione cognoscendi Veri gratia, penitus introspicerem, operæ pretium facturus satis, si cæca in nocte per antiquam silvam erranti tene aliquod non defuisse lumen appareat.



ME-